

que enim est, semper leo est. Ficti illi leones, qui solciebant thronum Salomonis, serviebant quidem regi thronum, ascendenti, et in eo sedenti: verum inde ipsi decorem acquirebant, dum thronum regalem componebant et ornabant, III. Reg. X. Laudatur S. Martinus, non vituperatur, quod subinde servo suo ministrum se præbuerit. Et quis non in cælum extollit quod egit Salvator noster, dum ipso linteo se præcinxit, et serviit discipulis suis, pedes eorum lavando? Et quid tota ejus vita aliud fuit nisi mancipatus et ministerium subditis exhibitum? Hunc imitatus S. Silvester: « Quos offendebat Romam ex externa venientes regione, eos hospitio lubenter excipiebat: eis mensam hilariter apponens, et aqua illorum pedes ablucens, et ad quiescendum eos in stragulis collocans, » ut habet auctor vitæ ejus.

VI. Ad natandum et transvadandum fluvium. Ita Petrus cum audisset Dominum ad littus stare: *Tunica succinxit se et misit se in mare*, ut natando (sicut puta Chrysost. et alii), vel pedibus mare pervadendo, (uti Beda) ad Jesum pergeret, Joan. XXI. Tunicam igitur inquit, eamque succinxit, ne impedimento esset. Debet etiam Christianus ad hoc accinctus esse, ut pro Christi fide et gratia conservanda in periculum vitæ quasi in mare se injiciat et flumina transvadet, quia Dominus ait: *Si quis veniat ad me, et non odit patrem suum et matrem, et uxorem et filios et fratres et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus*, Luc. XIV. Ratio est, quia Christus, vita nostra beata et sempiterna, longissime imo infinites preferendus est vitæ nostræ miseræ et momentaneæ: *Quæ est enim vita nostra?* ait S. Jacob. c. IV. *Vapor est ad modicum parens, et deinceps exterminabitur*. Christus autem vita nostra manet in æternum. Quando igitur Deo disponente accidit, ut in aquas tribulationum, inopiam, contemptum persecutiones, morbos incidamus; ibi opus est, ut natare sciamus, hoc est, ut ea omnia, ne Christum perdamus, patienti et lubenti animo perferamus. Quod si tempus instat, ut ad alteram vitam transvadandum sit, per mortem qualemcumque tandem, ad hoc parati simus. Sic paratus erat S. Paulus, qui aiebat: *Scio et humiliari, scio et abundare; (ubique et in omnibus institutus sum) etsatiari et esurire: et a bundare, et penuriam pati. Omnia possum in eo, qui me confortat*, ad Phil. IV. Quinetiam ad supplicium et mortem pro Christo perferendam, si res feras et exigat, nemo se subducat: siquidem ipse eam pertulit pro nobis. Non est parvis pretii vita servi cum vita regis; et quid vita puri hominis, cum vita Filii Dei? Fœda et inexpiabilis fuit ingratitude Pharaonis qui posteris Josephi, cui vitam et con-

servationem totius Ægypti debebat, denegavit paleas ad coquendos lateres. Repleverat Josephus omnia horrea regia tritico, et jam ejus posteris paleæ negantur, Christus verus Joseph et Salvator mundi, vitam nobis attulit, et pro eo servando suam deposuit, pretiosamque animam dedit: quid ergo dubitamus viles nostras animas ponere pro ipso? Nonne paleas exiguas et vilissimas pro immenso tritico damus? Expendit hoc Silvester qui etiam non urgente præcepto, sed stimulante solum charitate martyres enectos et objectos, præsentis vitæ suæ periculo, rapuit et sepelivit: ad hæc pro Romanorum plebe Christo concilianda non dubitavit se exponere faucibus draconis, ut eas occluderet pestiferas Romanis. Cum igitur habeamus et supremi nostri ac generalis militiæ ducis Christi luculentissimum exemplar, qui his omnibus modis balteo suo præcinctus agmen præcessit, habeamus etiam præ oculis Silvestrum, velut ejus armigerum minime ignavam ducem suum Christum etiam per abruptos scopulos, strenue sequentem, superest ut nos quoque intendamus vires, et quantum fieri poterit, post illos ascendamus ad montem victoriæ cœlestem. Non admittamus in nos hoc probrum, ut discineti inveniamur coram Deo.

CONCIO II.

CINGULUM CASTITATIS CUI COMPARANDUM.

I. Fit ex bysso retorta mortificationis. — II. Ex hyacintho orationis. — III. Ex purpura castæ societatis. IV. Ex vermiculo bis tincto seu memoria.

THEMA.

Sint lumbi vestri præcincti. Luc. XII.

Communis ss. patrum sententia est, uti S. August. hom. XXIII. de verbis Domini, S. Gregor. hom. XIII. in evang. S. Basil. c. XV. in evang. S. Hieron. I. I. contra Jovin. S. Petri Chrysologi, serm. XXIV. et aliorum, per lumbos intelligere Christum carnis concupiscentiam, quæ castitatis cingulo constringenda et exercenda sit. Præclarum id quidem consilium est, sed unde nobis tale cingulum? Vel quibus ex rebus conficiendum est? Quæramus in lege veteri, quæ saltem per figuram id nobis explicabit. Etenim inter vestes pontificias reperimus etiam sac. um cingulum quod Exod. XXXIX. jussit Deus fieri *de bysso retorta, hyacintho* (h. e. lana hyacinthinis coloribus) *purpura ac vermiculo bis tincto*. Pretiosum sane est hoc cingulum: bysso enim ostendit esse forte et simul blandum, non asperum; Lyacin-

thus, cœleste et angelicum; purpura regium; vermiculus seu coccus, fulgidum ac speciosum. Neque solum pretiosum sed etiam apprime utile, siquidem ad hoc præscribitur a Domino: *Ut carne succinta ad Domini occursum liber, velox, expeditus nostræ mentis reddatur incessus*, inquit Chrysolog. loc. cit. Solum id nunc superest, ut videamus quænam illa sint, ex quibus contextendum adeoque nobis comparandum est hoc cingulum. Quod hic agemus.

I. Ex bysso retorta. Bysso tenerrima textura et domuncula hombycis est; quare carnem nostram denotat, quæ quasi domus animæ est, eademque tenera valde et sensitiva. Porro ut ex ea cingulum castitatis fiat, contorqueri per afflictiones, imo et retorqueri sæpius debet. Quænam enim equus frænandus, et contringendus loris, insuper et flagellis coerendus est, ne sesso rem præcipitet aut deiciat: ita quoque caro, ex perversa sua natura petulans et lasciva. Unde S. Augustinus, lib. de salutaribus docum. to. IV. ait: « Caro data est nobis, quasi animæ bellum: quæ si mortificetur, adducit ad vitam; si nutriatur, preparat se contra animam ad mortem. » Quod in se expertus etiam sanctissimus ille apostolus Paulus, I. Cor. IX. ait: *Sic pugno, non quasi aerem verberans, sed castigo corpus meum, et in servitutem redigo*, Gr. subigo, cotundo, velum equum scilicet petulantem, jejuniis, flagello, cilicio, frigore, labore. « Castitas enim sine comitibus suis, jejunio videlicet et temperantia cito lassescit; quod si his quasi adminiculis roborata fuerit, per facile coronabitur, » ait S. Chrysost. hom. I. in Ps. L. Vidit hoc Elias (ex constanti veterum patrum sententia, virgo semper existens) qui ut donum castitatis illibata conservaret, pellibus hirsutis carnem et zona pellicea lumbos suos vestit ac vexavit; quam ob causam *vir pilosus* appellatus fuit, XVI. Reg. sciens maxime in lumbis dominari carnis pruritus. De jejunio ejus nihil dubitandum cum in monte Carmelo habitaret, ubi vix aliud quid præter herbas ad victum habere poterat. Vidit Joannes Baptista, ob vitæ imitationem alter Elias dictus; qui carnem suam strinxit pilis camelorum, et pavit locutis, tametsi in deserto extra omnium hominum conspectum viveret: ita ut vix scire posset, quid esset Venus. Vidit sanctus juvenis Hilarion et ipse in deserto agens, de quo Sanctus Hieronymus in vita scribit: « Titillabat diabolus sensus ejus, et pubescenti corpori solita voluptatum incendia suggerebat. Cogebatur tyrunculus Christi cogitare, quod nesciebat, et ejus rei animo causam volvere, cujus experimenta non noverat. Iratus itaque sibi et pectus pugnis verberans, quasi cogitationes cæde manus posset

excludere: Ego, inquit, aselle faciam ut non calcitres, nec de hordeo alam, sed paleis; fame te conficiam et siti: gravi onerabo pondere, per æstus indagabo et frigora, ut cibum potius quam lasciviam cogites. Herbarum ergo succu et paucis carycis post triduum vel quatrimum deficientem animam sustentabat: orans frequenter et psallens, et rastro humum fodiens, ut juniorum laborem labor operis duplicaret. » Idem se fecisse fatetur, qui id scripsit Sanctus Hieronymus, epist. XXII. ad Eustoch. de cust. virgin. c. III. tametsi jam senex: « Mens, inquit, desiderii æstuabat in frigido corpore, et ante hominem sua jam carne præmortuum sola libidinum incendia bulliebant, itaque omni auxilio destitutus ad Jesu jacebam pedes, rigabam lacrymis, crine legēbam et repugnantem carnem hebdomadarum inedia subjugabam, etc. » Idem fecere, præsertim urgente carnis tentatione, alii: Evagrius presbyter hibernis frigoribus in puteum; S. Bernardus abbas in lacum descendit; S. Audomarus Tarnensis episcopus in vepribus, uti et S. Benedictus Franciscus in nivibus se volutabant; alius ex ordine S. Dominici a scorto sollicitatus in prunas se coniecit, apud Thom. Cantipr. I. II. apum, c. XX. Denique, S. Borromæus cardinalis ad quemquam cardinalem scribere non dubitavit; *Sine penitentia et asperitate vitæ impossibile esse servare castitatem*, utpote quam tantopere caro, dæmon et mundus impugnant. Quam proinde ut conservaret ipse sibi voluptatibus interdixit, et rigidam vitam indixit. Unde S. Thomas, II. II. quæst. CLI. artic. I. sentit castitatem a castigando pictam esse, quod ad modum pueri frænanda et castiganda sit. Certe Abdias Babylonius in vita S. Andreae apostoli scribit, Nicolaum quemdam nomine Corinthi ad S. Andream venisse ac dixisse, se per annos septuaginta et quatuor Veneris mancipium fuisse, rogasseque apostolum, ut suis sibi precibus impetraret continentiam, et jejunasse quidem apostolum atque orasse pro illo totis quinque diebus, nihil tamen impetrasse, sed a Domino audisse: *Volo ut quemadmodum tu pro illo jejunasti, sic etiam ipse jejumet suamque corpus affligat, si fieri salvus desiderat*. Quod cum is fecisset, toto semestri pane sicco et aqua victitans, transit ex hac vita ad immortalem. Ecce quam verum, sine asperitate vitæ non servari castitatem.

II. Ex hyacintho. Omnium sententia hyacinthus olim cœli colorem referebat; qui nunc quidem melleum refert igitur hyacinthus cingulum castitatis conficiens et conservans est oratio, quæ in cælum evehit orantem, cœlesteque illud donum impetrare potest. Testatur hoc Salomon, Sap.

VIII. *Ut scivi, inquit, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, etc. adii Dominum et deprecatus sum illum, et dixi ex totis præcordiis meis: Deus patrum meorum et Domine misericordiæ, etc.* Rationem exponit Cassianus, in institut. monast. « Quodammodo enim, inquit, exire de carne est; in corpore commorantem, at ultra naturam fragili carne circumdatum, carnis aculeos non sentire. Et ideo impossibile est hominem suis ut ita dixerim, pennis ad tam præcelsum cæleste præmium subvolare, nisi eum gratia Domini de terræ cæno munere evexerit castitatis. » Quare S. Augustinus pro hoc dono comparando summum et extremum perfugium habuit ad orationem: « Tota spes mea, ait non nisi in magna valde misericordia tua. Continentiam jubes: da quod jubes, et jube quod vis, » lib. X. conf. cap. XXIX. Licet enim aliæ quoque virtutes sint dona Dei, ab eo petenda; maxime tamen castitas quia plures habet hostes, qui mentem non perturbant tantum sed plane excæcant. Legimus Judic. c. I. Calebum dedisse filię suæ Axæ *terram arentem*, seu ut Septuaginta vertunt *australem* (ea enim majore solis æstu dolet fervere adeoque aridior esse.) Verum filia, videns sibi per illam non satis prospectum, suspirans in asino quo vehebatur, petit a patre et irriguam, accepitque irriguam superius et inferius, hoc est, terram australem, calidam: et septentrionalem, frigidam. Dedit nobis Deus dona naturæ; corpus et animam, rationem, memoriam, voluntatem liberam, quinque sensus, bona hesterna, quasi in dotem. Verum hæc omnia sunt arida et solis æstui exposita, variis scilicet peccandi periculis, præsertim caro concupiscentiæ æstu calens. Quare si præterea terram humore gratiæ irrigatam, si terram septentrionalem, carnem ab æstu concupiscentiæ immunem desideramus, suspirare oportet ad patrem nostrum cælestem, idque donum petere, quod est castitas et virginitas, ut fecit Sancta Cæcilia, quæ: *Cantantibus organis in corde suo Domino decantabat dicens: Fiat, Domine, cor meum et corpus meum immaculatum, ut non confundar.* Quæ non modo, quod petiit, obtinuit, sed quemadmodum Axæ, plus quam petiit; impetravit enim eandem virginalem castitatem sponso suo Valeriano, ejusque fratri Tiburtio; ita cum virginitatis corona etiam martyrii lauream consequeretur; ut habemus in officio Romano. Pari modo sanctus ille juvenis Thomas Aquinas cum propinqui castitati ejus insidias posuissent, puellam ad labefactandam ejus pudicitiam immittendo, ad Christum et Beatam Virginem conversus: *Ne sinas quæso, inquit, Domine Jesu, et tu sanctissima mater et Virgo Maria, ut tam immani me sce-*

lere obstringam. Quo dicto titonem e foco arripuit, eo puellam fugavit, ostioque crucis signum velut seram appingens, dum orat, lumbos sibi ab angelo constringi advertit; a quo tempore omni carnis stimulo caruit, ut in ejus vita. Cæterum ut hoc idem donum o Deo impetremus, serio et ex *totis præcordiis* cum Salomone orare, et cum Axæ *suspirare* ad Patrem cælestem debemus, non quomodo Augustinus adhuc in cæno impuritatis hærens orabat: « Da mihi castitatem et continentiam, sed noli modo. Timebam enim, inquit, ne me cito exaudires et cito sanares a morbo concupiscentiæ, etc. » Lib. VIII. confess. c. VII.

III. Ex purpura. Purpura quasi *pura pura*, hoc est, purissima dicta est, et indicat societatem castam, qua puris conversantur; ut his puri et purissimi fiant. Olivam veteres Minervæ, quæ virgo perhibetur, sacram esse voluerunt. Causam adfert Pierius, lib. LIII. hierogl. c. XVI. *Græci enim, inquit, ut Rutilius Taurus ait, jubent olivam, cum plantatur et legitur a mundis pueris atque virginibus operandam: Credo, inquit, recordari, arbori huic esse præsidem castitatem.* Florentius quoque l. de re rustica adeo puram esse oleam tradit, ut collectores etiam non nisi puros amet, qui cum ad olivationem accedunt, jurant, se non aliunde quam uxore sua venire: ita fieri ut oleæ anno insequenti uberiorem proventum adhibeant: *Præcipue vero aiunt Anazarbi, quæ Ciliciæ est civitas, oleas esse fecundissimas, quoniam a castis tantummodo pueris colantur.* Ita ille. Quibus accedit, quod M. Varro Romanorum doctissimus scribit oleam sterilescere, si capra primum germinantem tetigerit. Ergo uti oliva seu olea, quia semper virens purissimum fundit liquorem, castitatis typum, castos etiam amat et puros, sibi que similes requirit cultores: aversatur contra impuras et fetentes capras. Ita quoque puri cum puris conversari debent; certi alioquin, si ab impura capra, præsertim juvenes tangantur, se non exiguum castitatis damnum accepturos. Audiant S. Hieron. ep. ad Nepotianum: « Ne in præterita castitate confidas, inquit, neque enim tu Davide es sanctior, neque Salomone poteris sapientior. Memerito semper quod paradisi colonum de possessione sua ejecit mulier. Solus cum sola absque arbitrio et teste non sedeas, tametsi secretum aliquod intersit, et quicquid probabiliter fingi potest. Crebra munuscula et sudariola et fasciolas et degustatos cibos et blandas dulcesque litterulas sanctus amor non habet. » Apes purissima animalcula, absque coitu prognata non fetores modo et infectos, sed et unguenta redolentes oderunt atque infestant, teste Plin. l. XV. c. XVIII. Ita

castimoniæ studiosi non modo tetrum libinis odorem sed ipsa etiam pigmenta, unguenta, munuscula, et fucum, quibus parentatur Veneri, fugiant et abominentur. Atque ut illæ alveare suum ab his, quæ oderunt, tutantur: ita isti sensus suos ab omni impura contagione servare conentur. Quare Joseph ne contingere dominam cogere-tur, potius vestem suam in manus ejus relinqueret, quam cum ea contendere voluit, Genes. XXXVIII. Augustinus nec sororem suam in domo toleravit, eo quod adventantes ad illam, sorores non essent. S. Greg. Nazianz. in carm. de animæ suæ calam. ait: « Cum castitatis amor in intimis animi recessibus occultari non posset, primum cum his hominibus vitæ consuetudinem contraxi qui matrimonii vincula fugerunt seque a mundi contagione abruperunt, ut Christum regem animi pennis sequantur, hinc non sine magna gloria pedem efferentis. Hos ego singulari amore ac toto pectore complectens, spei cælestis duces habebam. »

IV. Ex vermiculo bis tincto. Coccus granum tinctorium est, quod arbusto cuidam annascitur, de quo Plinius, lib. IX. c. XLI. et lib. XVI. c. VIII. Dioscorides, l. IV. cap. XLIII. Huic innascitur vermiculus quidam parvus, rubicundus et odoratus, qui e grano prodiens, vino albo forti spargitur, arefit et contunditur in pulverem, quo rubricantur panni, qui inde coccinum vel coccinei dicuntur, ut refert Corn. in cap. I. Isai. Quid hic vermiculus nisi mortis typus? Ita enim Baldad: *Homo pulredo, et filius honoris vermis*, inquit, Job, XXV. Ut vermiculus ille arbori, ita mors annascitur homini. Vermiculus ille in pulverem contusus pulchro colore pannos rubricat, mortui homines in pulverem redacti, et per considerationem menti nostræ aspersi, pulcherrimo eam castitatis imbuunt colore. Quis enim amet carnem, quæ post modicum tempus adeo fetebit, tamque horrida aspectu erit, ut ferri non possit? Quis vermes e cadavere prodeuntes, quis cinerem deperiat? Unde S. Zeno, in serm. de pudicitia ait: « Non habet concupiscentia locum, ubi mors timeatur: » et S. Gregor. XXVI. mor. cap. XXIX. « Nihil, inquit, sic ad edomandum desiderium carnalium appetituum valet; quam ut unusquisque hoc, quod vivum diligit, quale sit mortuum, penset. » Quid autem in morte futurum sit exponit Isaias, c. XIV. dicens: *Concidit cadaver tuum, (velut asini, videlicet, quod abjectum devoratur a canibus) subter te sternetur tinea, et operimentum tuum erunt vermes.* Dixit hanc sententiam quidam religiosus juveni dissoluto, ut cogitaret qualis ejus lectus in inferno futurus esset: dixit et evicit ut is deserto sæculo religionem ingrede-

retur, refert Platus, de stat. rel. l. III. c. ult. Alius quidam in vitis pp. ut foedum amorem alicujus feminae ex animo suo pelleret, ubi mortuam audivit, ejus sanie pannum intinxit et postea cum tentaretur, naribus applicuit, p. II. de fornicat. Hic igitur vermiculus est bis tinctus, hoc est, mortis memoria, menti sæpius impressa et quasi intincta; quæ non secus ac bis tinctus color, pertinaciter hærebit, nec facile delebitur.

CONCIO III.

QUATUOR CINGULA VIATORUM.

I. Cingulum castitatis. — II. Cingulum contemptus rerum sæcularium. — III. Cingulum promptitudinis ad obediendum. — IV. Cingulum præparationis ad mortem.

THEMA.

Sint lumbi vestri præcincti. Luc. XII.

Qui magnum aliquod iter aggressurus est, vestes, si talares habeat, præcingere solet, adeoque se ad iter expeditum reddere. Ita mandavit Deus Hebræis jamjam ex Ægypto in Palæstinam egressuris, ut quia longioribus utebantur vestibus, renes suos accingerent, atque ita succincti prius agnum comederent, eoque comesto mox itineri se committerent, Exodi XII. Magnum iter aggressi sumus, quotquot in hunc mundum venimus: ad cælum enim tendimus, velut ad patriam nostram et terram lacte et melle manantem: sed itinere non parum aspero et periculoso, præterea etiam longinquo. Oportet ergo nos ad hoc accinctos, præparatos et ab omni impedimento esse expeditos. Atque illud est, quod in hodierno evangelio præscribit nobis Dominus, cum ait: *Sint lumbi vestri præcincti.* Id vero qua ratione fieri possit ac debeat, nunc videamus.

Non uno sensu intelligunt patres cingulum hoc, quo Christus nos accinctos esse vult.

I. S. Gregorius, hom. XIII. in evang. multique alii pp. asserunt esse castitatem; quia hæc coeret libidinem, uti cingulum constringit lumbos, in quibus illa sedem habet. Primæ hæc et magnopere necessaria virtus est tendenti ad cælum et occursum Christi, siquidem libido gravissimos compedes injicit homini, retinetque affixum carni quam fortissime. Hinc Luc. XIV. in parabola cænæ, duo illi, qui boves et villam emerunt, se quidem modeste excusant: ille autem qui uxorem duxit, nequaquam, sed impudenter: *Uxorem duxi, inquit, et ideo non possum venire.* Similiter et de raptore Dinæ Sichem, dicitur, quod *conglutinata fuerit anima ejus cum illa*, Gen. XXXIV. Eam-

dem ob causam lascivus comparatur a Jeremia, c. II. onagro, qui per auram olfaciens onagram insano eam amore sequitur gratia libidinis: *Attraxit ventum amoris sui: nullus avertet eum.* Et bene libidinosus ac libido comparatur onagro, quia eripit homini mentem, redditque incapacem omnis sapientiæ; uti docet exemplum recens Henrici Angliæ regis VIII. qui ob unam pellicem eo insaniam abiit, ut non solum legitimam conjugem abjiceret, et a sedē apostolica deficeret; sed etiam ut se pontificem in suo regno assereret. Nemo eum ab hoc insano amore potuit abstrahere, non consiliarii boni, non pontifex, non excommunicatio, non preces conjugis, non principum hortamenta et minæ, non plagæ Dei. Quare qui hunc onagrum coercere vult lumbos suos præcingere, hoc est, carnem suam rebellem constringere, jejuniū, abstinentia, cilicio, flagello et similibus armis debet; quomodo S. Hilarion a carne tentatus: « Ego te, aselle, dicebat, faciam ut non calcitres, nec te hordeo alam sed palæis, fame te conficiam et siti gravi onerabo pondere, per æstus indagabo et frigora, ut cibum potius quam lasciviam cogites. » S. Hieronymus, ep. ad Principiam, virgines a gentilibus pingi solitas fuisse meminit armatas; propterea quod castitas semper esse armata ad sui defensionem debeat. Arma hæc non tam offensiva, quam defensiva sunt ad tuendum in castitate corpus, scilicet flagellum, cilicium, funiculi, labor, studium, vigiliæ, jejuniū: quibus velut æneo thorace, totum corpus ambiente, non difficile se tutantur, qui castitati student.

II. S. Augustinus, l. II. quæstion. evang. c. XXV. vult esse contemptum rerum sæcularium ac divitiarum adeoque paupertatem. Bene etiam iste. Solebant Judæi talares vestes gerere, unde iter facturi aut alteri ministraturi accingebant se, ut breviori vestitu commodius id peragerent, ut videre est, Luc. XII. et c. XVII. Quis nescit longiores vestes retardare gressum, quod pedes semper feriant? Idem divitiæ, præsertim immodicæ. Hinc bene Democrates apud Stobæum, serm. XCI. ait: *Uti vestes talares corpora, ita divitiæ impediunt animas.* Si vestem prælongam habes, sæpe eam pede calcas, indeque a gressu retardaris: si multas divitiæ habeas, crebro de eis cogitas, sæpe eas volvis et revolvis; itaque mentem a bonis aliis cogitationibus avocas, nec divina curas. Quam ob causam, rogo, corvus a Noe dimissus non rediit ad arcam, columba vero rediit? S. Augustinus, quæst. XIII. in Gen. et S. Chrysost. hom. XXVI. in Gen. hanc dant, quia corvus reperit in aquis cadavera, quibus insidens pascebat, columba nusquam reperit: *Ubi requiescit*

pes ejus. Hanc ob causam Petrus et Andreas, Jacobus et Joannes Christum vocantem ad primam vocem mox secuti sunt, quia pauperes erant. Adolescens vero ille dives, vocatus a Christo, qui multas possessiones habebat, quibus innatabat, non est secutus, sed abiit tristis, Marc. X. Eandem ob causam divites illi in parabola, Luc. XIV. vocati ad cœnam, eam neglexerunt, præpediti amore divitiarum: (quia abierunt unus ad villam, alter ad boves suos) pauperes vero absque mora excusationeque ulla statim advenerunt. Versio Chaldaica et Josephus dicunt corvum reversum esse ad Noen, quod Septuaginta et Vulgata negant; sed bene conciliant dd. dum aiunt corvum subinde quidem revolasse et sedisse super tectum et cacumen arcæ, ad Noen tamen et in arcam non intrasse. Qua ratione videmus etiam divites subinde accedere ad rem divinam, confessionem et communionem, verum exigua aut nulla sua emendatione; quia mox revolant ad sua cadavera, nec intrant in Christi arcam, ut eum præ omnibus ament; sed intrant in arcam suam, ubi est thesaurus et cor eorum.

III. Theophylactus, in Luc. c. XII. vult esse promptitudinem ad faciendam voluntatem Domini, adeoque obedientiam paratam ad omnia. Bene etiam iste; quid enim magis impedit a via perfectionis et sanctitatis quam propria voluntas et dissoluta vita? Sane equus dum fræno tenetur ab equite, commode progreditur: at si frænum ei permittatur, ad devia et præcipitia perget. Ecclesiasticus, c. XIII. ait: *Venatio leonis onager in eremo.* Quid vero onager nisi homo libertati et dissolutioni deditus? Unde Job, XI. de talibus ait Sophar: *Vir vanus in superbiam erigitur et quasi pullum onagri liberum se natum putat.* Qui ergo se omnibus et directione superiorum exemptos volunt, vel esse putant, onagri sunt qui omne frænum et jugum respuunt. Sed norint se esse in periculoso statu et expositos venationi leonis tartarei, sicut onagri sunt præda et potissimum pabulum ac venatio leonum. Contra asini domestici securo loco sunt, dum sub fræno et custodia dominorum sunt. Dicite, quare cervi reperiantur sæpius infixi palis sepium, boves et equi non item; nisi quia illi liberi sunt, ideoque quaquaversum vagantur et omnia septa transiliunt, boves autem et equi vel sub jugo et fræno, vel in stabulo conclusi, vel sub regimine pastoris sunt? Primo Reg. VIII. legimus filios Samuelis declinasse post avaritiam et pervertisse iudicium. Ubi quaerit Theodoretus, q. XVI. cur Deus non etiam a Samuele pœnas exegerit, sicut exegerat ab Heli ob perversos ejus filios; respondetque cum S. Gregorio in eum locum, filios Heli dum sub fræno

et potestate parentis erant, bonos et disciplinatos fuisse: at postquam potestate et domo ejus excesserunt et libertati suæ relictis foris præfecturas administrarunt, tum primum perversos esse. At enim: *Neque hoc sciebat propheta. Nam ipse quidem habitabat Harmathæmes: illo vero Bersabee.* Videte igitur quantum prosit esse sub fræno, quantum obsi libertas. Vidimus ante paucos annos et hic et in aliis locis circumduci elephantem, nondum ætate maturum. Hic cum Augustæ in curia ad spectaculum proponeretur confertissimo populo impetratum est a magistro ejus, ut eum a vinculo et crasso fune, quo per pedem alligatus erat, solum, sibi permitteret. Factum ut postulatum, ægrelcet. Verum ecce vobis elephas, ubi se liberum vidit, nam mox exerere et adoriri aliquos domini sui servos, a quibus se male acceptum aliquando meminerat: fit fuga et clamor in populo, tantaque confusio, ut alii per scalam præcipientes ruerent, alii tantum non comprimerentur et pedibus conculcarentur, alii desultare e fenestris molirentur, nec bestia, nisi oblato dulci vine sedata et ad vinculum retracta fuit. En tibi fractum libertatis, qualem cernimus sæpe in juvenibus, cum patria potestate excedentes, nullos amplius magistros habent; unde in omnia vitia proni ruunt. Refert Suidas Eurybatum furem, dum in carcere custodiretur, jussum a custodibus compotantibus, specimen edere suæ solertiæ in ædibus conscendendis, initio recusasse ac vix tandem assensum spongiis ac retinaculis ferreis expeditis, per muros cursim ascendisse, dumque illi mirabundi suspiciunt, superato tecto, priusquam illi circumdare ædes possent, desilisse de ædibus, sicque evasisse. Audite hoc parentes, date libertates filiis vestris, et fugient disciplinam vestram vobisque ad extremum ostendent medium digitum, nec poteritis eos amplius sub jugum retrahere. Unde Ecclesiast. c. XXX. ait: *Lacta filium, et paventem te faciet* (Gr. *stupefaciet te,*) *lude cum eo et contristabit te,* (Syr.) *et vexabit te.*

IV. S. Cyprianus, l. de unit. Eccles. et exhort. mart. præparationem ad merem significari vult eo cingulo. Recte et quidem juxta mentem Christi ad litteram. Eo enim tendunt sequentia verba: *Et lucernæ ardentes in manibus vestris.* Vult enim Dominus nos semper et per omnia paratos expectare adventum ipsius; siquidem insperato veniet. Dormientes et negligentes famuli repente adveniente domino consternuntur, non reperiunt candelam, nec candelabrum, nec lumen, sicque neglecto officio suo incurrunt iram domini sui: id ne contingat nobis, vult Dominus ut omnia ad manum parata habeamus, lucernam eamque

accensam, ad hæc manu retentam: fore enim ut ipse veniens neminem expectet ad pœnitentiam. Lucernam habent, non accensam charitate, uti fatuæ virgines, quæ dum pergunt eas accendere, neglexerunt sponsum; et lucernas accensas habent, qui præter fidem etiam charitatem habent; sed in manibus non habent, qui charitatem et gratiam non fovent ac conservant bonis operibus et continua vigilantia in oratione aliisque pietatis studiis. Nisi enim lucerna oleo subinde affuso alatur, nisi emungatur, nisi lychnus promoveatur, neglecta extinguetur. Denique, juxta mentem Christi Domini, in manibus lucernas habent, qui adventum Domini, in morte sua comparituri continuo expectant, et quasi singulis horis morituri ad eam sese præparant. Et hæc non minima prædestinationis nota, semper ad mortem et tribunal Dei adeuntem esse paratum, uti indicat Dominus verbis illis hodierni evangelii: *Beati servi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes.* Eodem (sensu mystico) tenebat præcinctio Hebræorum in comestione agni, jamjam tendentium in terram promissam. Sic enim voluit Deus nos paratos esse, ad emigrandam ex hoc sæculo ad patriam. Paratus erat Sanctus Job, qui dicebat: *Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea. Vocabis me, et ego respondebo tibi, quasi diceret: Paratus sum quando cumque vocabis ad reddendam rationem, Job, XIV. Quod ut nos quoque singuli faceremus, voluit Deus ex singulari misericordia sua incertam nobis esse mortis horam. Julius Cæsar nunquam prælii aut expeditionis tempus militibus prædixit, ut omnibus horis in prælium descendendum esse putarent, Suet. et Polyænus, lib. VIII. Eandem ob causam Deus summus imperator noster occultam nobis voluit mortis horam, ne si eam sciremus, occasio fieret illa securitas maximæ negligentia et damni irreparabilis.*

Vidimus qua ratione præparati et accincti esse debeamus ad iter versus terram promissionis nostræ. Vidimus impedimenta itineris, carnis voluptatem, mundi et opum amorem, libertatem noxiam, denique somnolentiam et salutis nostræ incuriam. Vidimus et cingula, quibus hæc amoliremur, castitatem, paupertatem, obedientiam (quæ ob tria illa obstacula, amplectuntur religiosi per tria vota) denique præparationem ad beatam mortem. Abjiciamus igitur impedimenta illa, abjiciamus opera tenebrarum et induamur arma lucis, etc.